Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 839
Quelle:
Copyright:

Huius uerba codicilli. si quispiam lectitare. siue scrutari decreuerit. opere precium est eum scire. nichil in eo prorsus ex arbitrio conscribentis fore cusum. aut ex libitu ingenioli proprii adiectum. sicut plerique facere consueuerunt. qui mente superciliosa. quam plura scriptis. de suis super addidere ficmentis. unde lectori possit nausia. uel rancor. aut indignatio. seu etiam corrodentium aliorum dicta uel facta emulatio procreari. Auscultet itaque prudens lector. qui dentem non habet liuentem. et audiat qui uoluerit. de quo fonte materia huius opusculi emanauerit. Ad instar quippe alicuius uiride deambulantis per pratum. diuersorum colorum floribus perornatum. eorum sentiens fraglantiam (ita et Papias) *uidensque florum amenitatem. decerpat non omnes equaliter. sed de omnibus aliquos. uidelicet potiore fraglantes odore. et ceteros balsamitica precellentes suavitate. ita procul dubio. de libris moralium. mira et stupenda cathegorizantium. sunt hec permodica collecta et compilata. In his ergo libris sanctissimus et eloquentissimus papa Gregorius. uir totus apostolicus. organum reuera sancti spiritus. nec non uirtutum speculum. eiusdem sancti spiritus gratia debriatus* (frequens medio aevo, meliore sensu pro inebriatus) *mirabiliter et ineffabiliter ex habundanti pectoris armariolo intonat. et dictis nos salutaribus. sicut adipe frumenti delectabiliter cibat. atque sentencias diuina dulcedine plenas. mirifica atque rarissima suauitate inditas. mellifluo omnibus sitientibus deum ore propinat.*

Hec si scrut) scrutando ne pigrit)
eris eris.
Non execr) sacra sunt ergo vener)

Tractatio tota *Periochis* definitur, atque ut harum etiam specimen dem, en primam.

Pacis non belli sunt huius uerba libelli.
Exilarant mentes resecant de pectore sentes.

Initium sapientie timor domini. Vnde beatus Gregorius dulcissimum sancti spiritus organum. in libro iob I°. asserit dicens. Deum timere est nulla que facienda sunt bona preterire. Vnde per salemonem dicitur. Qui deum timet nichil negligit. sed quia non nulli sic bona quedam faciunt. ut tamen a quibusdam malis minime suspendantur. in psalmo aperte scriptum est. Declina a malo et fac bonum. Neque uero bona deo accepta sunt. que ante eius oculos malorum immixtione maculantur. Et per salemonem dicitur. Qui in uno offendit. multa bona perdit. Hinc iacobus attestatur dicens. Quicunque totam legem seruauerit. offendat autem in uno factus est omnium reus. Hinc

Pau-